



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per
Aphorismos Strictim Explicatum**

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Procurationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

TIT. XXXVI. DE PROCURATION. 131
ea quæ. & , nisi desistant , excommunicantur. d. c. inno-
vamus.

De procurementibus.

TIT. XXXVI.

Procuratio, est necessariorum sumtuum exhibitio, Præ-
latis Ecclesias subjectas visitantibus facta. c. cum A-
postolus. 6. c. ea quæ. 12. de censib. &c.

Eam debent, qui invisuntur, licet ad alium locum è do-
mosua sint evocati : Gl. in c. 1. vers. visitatus. de censib.
in 6. ubi Inn. Host. oratoria , ordinarium Sacerdotem ha-
bentia ; c. 12. placuit. &c. 11. Episcopum. 10. qu. 1. Innoc.
in c. fin. de censib. capellæ in collegiatis Ecclesiis positæ ;
Maria. in tract. de visit. n. 85. vers. 5. monasteria ; d. 1. &
fin. de censib. in 6. non Laici suo nomine ; Sacerdotis Pa-
rochi nomine , si is sit inops , tenentur. Gl. in d. c. 1. vers.
laicos. & in d. c. 12. placuit. 10. qu. 1.

Debetur non minus Episcopo, ubi civitatis ipsius Ec-
clesias circuit , quām si extra urbem positas remotasque
inviseret ; quia non tantūm in victus necessitatem , sed &
in subjectionis & obedientiæ signum præstanda. c. venera-
bili. 24. ubi Abb. no. 2. de censib.

Tamdiu dari debet, quoad visitationis officium est per-
fectum.

Debet esse moderata , habitâ personæ & dignita-
tis visitantis ; c. cum Apostolus. 6. eod. c. 1. §. procura-
tionis. eod. in 6. & opum ejus qui visitatur, Gloss. in
d. c. cum Apostolus. verb. sumtuosus. & consuetudinis ,
ratione. Ioann. Andr. Goffr. in c. cum secundum. 16. de
prabend.

Solvi olim poterat in pecunia , Gloss. in c. felicis. 3. verb.
concedimus. de censib. in 6. per c. 11. relata. 10. qu. 1. &
c. 9. relatum. 13. qu. 3. quod postea vetitum ; c. 1. §. procu-
rations. de censib. in 6. deinde rursus permisum. c. felicis.
eod. in 6.

Visitator non nisi unam, licet plura loca visitet, eadem die accipere potest. *d. c. felicis. 3.*

Si Ecclesia visitata procurationi solvendæ sola non sufficiat, vicinarum Ecclesiarum suppetiis pro cuiusque Ecclesiæ redditibus utetur; *c. cum instantia. 1. & c. procurationes. 23. eod. Clem. 2. de censib. ubi Imol.* si nullis vicinorum symbolis, aut paucis adjuvari possit, visitantis erunt partes suis sumtibus hoc munus absolvere; si modo & ipse hoc præstare possit. *Gloss. Io. And, & alii in d. c. procurationes. 33.*

A procurationis onere immunem se esse nullus subditus præscriptione se tueri potest, *c. cum ex officio. 16. de præscript. d. c. cum instantia. 17. de censib.* potest, privilegio Apostolico, *c. accedentes. 11. c. cum ex officii. 16. de præscr. d. c. cum instantia. 17. Clem. 1. eod.* Visitatione jam semeleo anno ab eodem Prælato factâ; nec alteram ullâ necessitate urgente; *Marian. tr. de visitat. num. 66.* fructuum enormi sterilitate. *d. c. relatum. ubi Archidiac. in Gloss. fin.*

De Canonica portione.

T I T. XXXVII.

Canonica portio est, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiæ obvenientibus detrahitur, & Prælati debetur. *Lancelot. hic.*

Est vel Parochialis, vel Episcopalis.

Illa est, quæ parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Curato & Rectori debetur.

Detrahitur ex rebus, sive corporalibus, sive incorporalibus, mobilibus, sive immobilibus, quæ quis ægritudine correptus, in alia Ecclesia quam in qua officia divina audit & Ecclesiastica percipit Sacra menta, sepulturam sibi eligens, ei reliquit.

Ratio est, ne rectores Parochialis Ecclesiæ, vel ii, quibus cura animarum est commissa, debit is fraudentur subsidiis.